An. et vol. XXXXII 9 Decembris 1950 (Ser. II, v. XVII) - N. 16

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Conto corrente con la Posta

SUMMARIUM

Acta Pii Pp. XII: Epistula Encyclica, p. 797 – Litterae Apostolicae, p. 801 – Epistulae, p. 806 – Sollemnis Conventio, p. 811 – Allocutiones, p. 816 – Nuntius radiophonicus, p. 825.

Acta SS. Congregationum: *S. C. Consistorialis*: I. Decretum. p. 828. II. Provisio Ecclesiarum. p. 829 – *S. C. de Disciplina Sacramentorum*: Decretum. p. 830 – *S. C. de Propaganda Fide*: I. Decretum, p. 831. II. Provisio Ecclesiarum, p. 832. III. Nominationes, p. 834 – *S. C. Rituum*: Decretum de *Tuto* pro beatificatione Ven. S. D. Margaritae Bourgeoys, p. 834 – *S. C. de Seminariis et Studiorum Universitatibus*: Epistula, p. 836.

Acta Tribunalium: *S. R. Rota*: Citationes edictales, p. 845.

Appendix: *Tribunal Vicariatus Urbis*: Citationes edictales, p. 847.

Diarium Romanae Curiae: Udienze solenni – Segreteria di Stato: Nomine, pp. 849-852.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M · DCCCC · L

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano

Administratio:
Libreria Editrice Vaticana

Pretium annuae subnotationis:
In Italia, Lib. 800 — extra Italiam, Lib. 2000 vel $ 4

Pretium unius fasciculi:
In Italia, Lib. 75 — extra Italiam, Lib. 180 vel $ 0,25

Libraria Vaticana subnotatoribus fasciculos Commentarii mittere potest etiam via aërea, charta indica impressos.

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXXII, n. 16 – 9 Decembris 1950

ACTA PII PP. XII

EPISTULA ENCYCLICA

PAG.

Mirabile illud. – Ad Venerabiles Fratres Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos aliosque Locorum Ordinarios pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes: iterum indicuntur supplicationes ad populorum concordiam conciliandam. – 6 Decembris 1950 797

LITTERAE APOSTOLICAE

A quo omnis. – Venerabilis Dei Famula Anna Maria Javouhey, virgo, Instituti Sororum a Sancto Ioseph de Cluny fundatrix, beata renuntiatur. – 15 Octobris 1950 801

EPISTULAE

I. *Saecularis volvitur annus.* – Ad Em̃um P. D. Bernardum tit. Ss. Andreae et Gregorii ad Clivum Scauri S. R. E. Presb. Cardinalem Griffin, Archiepiscopum Westmonasteriensem, quem Legatum eligit ad sollemnia celebranda ob impletum saeculum a restauratione Catholicae Hierarchiae in Anglia et Cambria. – 16 Septembris 1950 806

II. *Sacra propediem.* – Ad Em̃um P. D. Emmanuelem tit. Sanctorum Marcellini et Petri S. R. E. Presb. Cardinalem Gonçalves Cerejeira, Patriarcham Lisbonensem, quem Legatum deligit ad sollemnia celebranda quarto exeunte saeculo ab obitu S. Ioannis de Deo, Ordinis Fratrum Hospitalitatis Conditoris. – 23 Septembris 1950 808

III. *Quinquagesimus sane.* – Ad Revm̃um D. Ioachimum Carreira, Pontificii Lusitanorum Collegii Urbani Rectorem: quinquagesimo vertente anno ab eodem Collegio condito. – 18 Octobris 1950 809

SOLLEMNIS CONVENTIO

Inter Sanctam Sedem et Rempublicam Lusitanam. – 18 Iulii 1950 . . . 811

ALLOCUTIONES

I. Iis qui internationali Conventui Catechesi provehendae Romae interfuerunt. – 14 Octobris 1950 816

II. Ad novum Legatum Columbiae. – 14 Novembris 1950 820

III. Ad novum Legatum Lusitaniae. – 23 Novembris 1950 823

NUNTIUS RADIOPHONICUS

Christifidelibus Londini coadunatis ad sollemnia celebranda ob impletum saeculum a restauratione Catholicae Hierarchiae in Anglia et Cambia. – 1 Octobris 1950 825

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

PAG.

I. *Syracusanae et Ragusiensis et Netensis.* – Decretum. De finium mutatione. – 11 Iulii 1950 828

II. Provisio Ecclesiarum 829

SACRA CONGREGATIO DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM

Decretum. De indulto Missae celebrandae media nocte diei 31 Decembris mensis a. 1950. – 1 Decembris 1950 . . 830

S. CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

I. *Adelaiden.-Portaugustan.* – Decretum. De finium Dioecesium mutatione. – 5 Maii 1950 831

II. Provisio Ecclesiarum 832

III. Nominationes 834

SACRA CONGREGATIO RITUUM

Marianopolitana. – Decretum de *Tuto* pro beatificatione Ven. S. D. Margaritae Bourgeoys, fundatrix Congregationis Sororum a Nostra Domina. – 6 Novembris 1950 834

SACRA CONGREGATIO DE SEMINARIIS ET STUDIORUM UNIVERSITATIBUS

EPISTULA

Ad Em̃os PP. DD. Cardinales atque Exc̃mos PP. Archiepiscopos, Episcopos ceterosque Ordinarios Brasiliae: de recta clericorum institutione rite provehenda. – 7 Martii 1950 . . . 836

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

Citationes edictales:

I. *Versalien.* – Nullitatis matrimonii (Jenjcot-Homps). – 6 Novembris 1950 845

II. *Catanen.* – Nullitatis matrimonii (Principato - De Luca). – 9 novembris 1950 846

APPENDIX

VICARIATUS URBIS TRIBUNAL

Citationes edictales:

I. *Romana.* – Nullitatis matrimonii (Marconi-Odak). – 13 novembris 1950 . . 847

II. *Romana.* – Nullitatis matrimonii (Carnevali-Buitoni). – 14 novembris 1950 848

DIARIUM ROMANAE CURIAE

I, Udienze solenni 849

II. Segreteria di Stato: *Nomine* . . . 849

An. et vol. XXXXII 9 Decembris 1950 (Ser. II, v. XVII) - N. 16

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

EPISTULA ENCYCLICA

AD VENERABILES FRATRES, PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES: ITERUM INDICUNTUR SUPPLICATIONES AD POPULORUM CONCORDIAM CONCILIANDAM.

PIUS PP. XII

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Mirabile illud fraternae concordiae spectaculum, quod per Anni Sacri cursum innumerae christifidelium multitudines, ex cunctis fere gentibus pio peregrinantium more Romam confluentes, praebuere, videtur Nobis quasi monitoriam habere vocem, omnibusque sollemniter testari populos universos non bellum, non discordiam, non odium velle, sed pacem percupere, sed animorum unitatem, sed christianum illum amorem, ex quo solummodo melior ac felicior oriri potest aetas. Nos ut monitoriam eiusmodi vocem omnes tandem exaudiant vehementer optamus, dum anxio animo cernimus formidolosa contentionum studia commovere populos, atque alicubi etiam horriferam internecionis Erinnyn animosae iuventutis metere vitas.

Nonne luculentissime patet cruentas dimicationes ingentes afferre ruinas, clades omneque genus miseriarum? Tam imma-

nia sunt hodie machinamenta instrumentaque bellica, quae hominum ingenium, ad alia utique natum, invexit, ut cordato cuique horrorem inicere debeant, eo vel maxime quod plerumque non exercitus tantum attingant, sed cives etiam, sed insontes parvulos, sed mulieres, senes, infirmos, sed sacras quoque aedes optimarumque artium monumenta! Quisnam horrore non afficiatur mente considerans possibile fore ut innumeris recentis belli sepulcretis alia adiciantur coemeteria; itemque collabentibus adhuc tot urbium oppidorumque parietinis tristissima alia adiungantur rudera? Quisnam denique non trepidet secum reputans oeconomicarum rerum discrimen, quod populos fere omnes, tenuiorum praesertim civium classes, tantopere angit, novis divitiarum iacturis, quae semper bellum consequuntur, asperius usque reddi posse?

Nos, qui supra humanarum cupidinum fluctus mentem erigimus Nostram, Nos, qui erga omnes cuiusvis stirpis populos ac gentes paternum gerimus animum, omniumque cupimus incolumem servari tranquillitatem, prosperitatemque cotidie magis provehi, Nos, Venerabiles Fratres, quotiescumque videmus caeli serenitatem tristibus infuscari nubibus, ac nova impendere hominibus dimicationum pericula, temperare Nobis non possumus quin vocem attollamus Nostram, omnesque ad restinguendas simultates, ad componenda dissidia et ad illam veri nominis pacem instaurandam adhortemur, quae et religionis, et populorum, et singulorum civium iura, publice sincereque, ut oportet, recognita in tuto ponat. Attamen probe novimus tantae huic efficiendae rei humanas opes impares esse; necesse siquidem est imprimis animos renovare hominum, cupiditates compescere, sedare odia, iustitiae rationes ac normas in usum reapse deducere, ad meliorem devenire divitiarum distributionem, mutuam refovere caritatem, omnium excitare virtutem. Ad quod quidem magnum opus exsequendum nihil profecto magis, quam christiana religio, conferre ac valere potest; eius enim divina praecepta nos edocent homines, quasi fratres, unam componere familiam, cuius pater est Deus, cuius

Christus est Redemptor supernaque sua gratia altor, et cuius patria, defutura numquam, est Caelum. Haec si praecepta reapse feliciterque effecta dentur, tum procul dubio non bella, non seditiones, non turbae, non religiosae civilisque libertatis proculcationes privatam publicamque vexabunt vitam, sed serena tranquillitas, recto iustitiae ordini innixa, mentes animosque afficiet, atque tutum iter patere iubebit ad auctiorem cotidie assequendam prosperitatem.

Hoc profecto arduum est, sed necessarium opus. Quodsi necessarium, nihil cunctandum est, sed quam primum ad rem deducendum. Quodsi arduum, humanisque viribus impar, precando supplicandoque ad caelestem Patrem est confugiendum, quemadmodum semper per saeculorum decursum maiores nostri in quovis rerum discrimine fecerunt non sine felici ac salutari exitu.

Quamobrem vos iterum commonemus adhortamurque, Venerabiles Fratres, ut gregem cuiusque vestrum ad populorum pacem ac concordiam impetrandam, publicis indictis supplicationibus, invitetis; ita quidem ut, religione auspice, quasi sacra habeatur contentio, quae contentioni illi repugnando respondeat, e qua tot pericula humanae consortioni impendent.

Nostis procul dubio media illa nocte, qua festum incipit Immaculatae Conceptionis Mariae Virginis, Nos Eucharisticum Sacrificium celebraturos esse, Nostramque supplicantem vocem per radiophonicas undas posse auscultantium omnium aures attingere. Cupimus autem ut ea praesertim nocte sancta cuncti christifideles, cum Iesu Christi Vicario coniuncti, a misericordiarum Patre contendant, praesentissimo interposito patrocinio Deiparae Virginis quavis labe ab origine immunis, ut tandem aliquando sopitis odiis rebusque omnibus iustitia aequitateque compositis, plena ac sincera cunctis populis ac gentibus pax affulgeat. Itemque optamus ut eodem animorum ardore hac de causa preces iterentur, cum novemdiales supplicationes ante Natalicia Iesu Christi sollemnia ex more habebuntur, id a Divino Puerulo precando, ut quam supra eius sacra cunabula Angeli

concinuere pacem bonae voluntatis hominibus, [1] ea ubique terrarum illucescat ac firmiter constabiliatur.

Neque praetermittatur a nato Redemptore ab eiusque Divina Matre supplicibus efflagitare precibus, ut catholica religio, quae humanae societatis est civilisque cultus tutissimum fundamentum, in omnibus Nationibus debita libertate fruatur, utque ii, « qui persecutionem patiuntur propter iustitiam », [2] ii qui ob fortiter vindicata sanctissima Ecclesiae iura in carceribus detinentur, vel extorres e sua sede deturbati sunt, atque ii etiam, qui exsules e patriis laribus misere vagantur, vel adhuc in captivitate iacent, supernis afficiantur solaciis, idque tandem auspicato habeant, quod flagrantissimis votis incensoque desiderio praestolantur.

Haud dubitamus, Venerabiles Fratres, vos pastorali ea, qua soletis, cura ac diligentia haec paterna hortamenta Nostra cum clero populoque vestro, aptiore quo duxeritis modo, communicaturos esse: itemque pro certo Nobis est quotquot habemus ubique gentium amantissimos in Christo filios invitationi huic Nostrae fore ultro libenterque responsuros.

Interea autem caelestium gratiarum conciliatrix esto paternaeque voluntatis Nostrae testis Apostolica Benedictio, quam vobis singulis universis, Venerabiles Fratres, ac vestratibus omnibus, iis nominatim, qui ad mentem hanc Nostram supplices preces fundent, amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die VI mensis Decembris, anno MDCCCCL, Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XII

[1] Cfr. Luc. 2, 14.
[2] Matth. 5, 10.

LITTERAE APOSTOLICAE

VENERABILIS DEI FAMULA ANNA MARIA JAVOUHEY, VIRGO, INSTITUTI SORORUM A SANCTO IOSEPH DE CLUNY FUNDATRIX, BEATA RENUNTIATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — A quo omnis repetitur sanctitudo, septemplicis Spiritus inter dona, « spiritus fortitudinis » in sacris Libris ita celebratur, ut vel forti animo mulier perpetuo efferatur praeconio, ipsius concinantur laudes, extollantur opera. Quotquot autem in Ecclesia Dei, eiusdem superni Spiritus sequestra et custode, fortitudinem prae ceteris donis hauserunt, instantia pericula ad dilatandum Christi Regnum et ubique Evangelium annuntiandum obiere, iisdemque superatis et accepta a Deo laborum mercede, corusca sanctitatis luce etiam nunc fulgent splendideque micant. Quod merito evenit in Dei Famula Anna Maria Javouhey, cui hodie Caelitum decernimus honores non absque animi gaudio. Haec enim, haud aliter ac Paulus Apostolus, cuius pernota « instantia quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum » (II Cor., XI, 28), « in solitudine, in mari, in falsis fratribus, in labore et aerumna, in vigiliis multis, in fame et siti, in ieiuniis multis, in frigore » (ibid., vv. 26-27) per totam vitam est versata, attamen quo difficiliora fuerunt tempora debilioresque hominum vires, eo fortior in Fide apparuit ac magis strenue pugnavit. In praeclara illa Galliae regione, Burgundia, feracissima et fructibus et illustribus viris et Sanctis, Ipsa, in oppidulo « Jallange » vulgo nuncupato et intra Divionensis dioeceseos fines posito, e Balthassar patre et Claudiola Parisot matre nata est die decima mensis Novembris, anno millesimo septingentesimo septuagesimo nono, scilicet decem annis ante quam nefaria immanisque societatis perturbatio Galliam totam submoveret. Pueritiam autem et adulescentiam in tanto discrimine transigens, puella animi fortitudinem, in sacrorum administris Ecclesiae Summoque Pontifici fidelibus iuvandis et a persecutoribus arcendis iisdem Sacris occulte litantibus sedulo fovendis, pluries potissimum ostendit. Tantam animi virtutem Anna Maria sortita est christiana institutione, qua pii parentes filios omnes rite conformaverunt, maxime vero gratia Sacramentorum, cum Baptismi tum Confirmationis et Sanctissimae Eucharistiae primum receptae, quae quidem « Panis fortium » non perperam appellatur. Neque puellae defuit, civilibus

legibus contra Ecclesiae iura impie latis ac paene deficientibus sacerdotibus Petri Sedi haerentibus, supernum auxilium, a Deo miserentissimo Ipsi oblatum per Ballanche presbyterum, qui, ob firmissimam suam in Romanum Pontificem observantiam ad mortem exquisitus, non solum divina mysteria clam in domo Stephani Javouhey, Annae fratris, noctu celebrabat conficiebatque Sacramenta, sed etiam, adulescentulae animam formans, eam inducebat in asperas vias sanctitatis. Ita factum est ut, sic providentissimo Deo disponente, quo magis nefarii perturbatores in sacra saevirent, eo pulchriores validioresque elucerent puellae virtutes. In id praesertim animum intendit, non sine caelesti nutu et signis, ut puellas doctrina christiana erudiret atque ad vitae componeret probitatem. Ita Dei Famula, aetate adhuc florens, ingenio vero matura, anno millesimo septingentesimo nonagesimo octavo, opus illud inchoavit, quod, postea dilatatum, pro Catholica Galliae instauratione spirituali tam uberes edidit fructus. Haud secus ac Sanctus Vincentius a Paulo et Sancta Anthida Thouret, apud quam paulisper est commorata, aliquo piissime transacto tempore in solitudine apud Cistercienses Reformatos seu « Trappistas », ad ruricolas et rudes recte instituendos totam se mancipavit; tum in oppido « Chalon », intra Augustodunensis dioeceseos fines, Episcopo favente et cohortante, una cum nonnullis sororibus Institutum a Sancto Ioseph nuncupatum, die vicesima mensis Augusti, anno millesimo octingentesimo sexto, condidit feliciter, in quo sanctimonialium vita ageretur. Subsequente autem anno, die duodecima mensis Maii, in Ecclesia paroeciali, coram Episcopo fidelibusque laetantibus, Anna Maria Javouhey cum octo sodalibus, quas inter tres ei sorores ex sanguine erant, novam Monialium a Sancto Ioseph vestem accepit et insequente prima mensis Iunii Feria Sexta religiosam familiam divino Cordi Iesu devovit et sacravit. Nec defuit exinde caeleste adiumentum, quo Institutum ipsum, sapientibus ditatum legibus ac Regulis, per nonnullas Galliae regiones est provectum, maxime postquam Dei Ancilla, interioris, quam dicunt, vitae eiusdemque solitariae desiderio ducta, in oppido « Cluny », apud celeberrimam illam et vetustissimam Abbatiam, nascentis Congregationis Domum Principem, anno millesimo octingentesimo duodecimo, constituit, in qua novitiae succrescerent in spem sodalitatis. Huc accedit ut, in maius societatis incrementum, Lutetiam Parisiorum peteret, utpote Galliae praenobile caput, ibique inter tenuiores incolas domicilium collocaret. Quot aerumnas, quot difficultates, saepe deficiente quoque cibo, una cum paucis sororibus Ipsa est perpessa fortiter! Quem vero animo provide-

rat, eum, Deo favente, habuit exitum : e Lutetia Parisiorum idem institutum, a civilibus Moderatoribus valde probatum, in Gallicas colonias impensam operam suam protulit et amplificavit, ita ut verba « procul et de ultimis finibus pretium eius » (Prov., XXXI, 10) de fortissima illa Muliere usurpari possint. Etenim primum in Africa occidentali, deinde in America Media et Meridiana, denique in Australasia Mater Anna Maria Javouhey eiusque in Christo filiae aestuantem in Catholicas Missiones animum, omnibus gratulantibus, aperte clareque panderunt. Tanta autem fuit, Ipsa vivente posteaque demortua, Congregationis per totum orbem terrarum propagatio, ut Evangelicum illud : « Simile est regnum caelorum grano sinapis,... quod minimum quidem est omnibus seminibus ; cum autem creverit, maius est omnibus oleribus et fit arbor, ita ut volucres caeli veniant et habitent in ramis eius » (Mt., XIII, 31 sq.), ad eam merito referatur. Neque praetermittendum putamus, sed potius in lucem edendum, flagrans Venerabilis Fundatricis studium, quo, Clero in missionalibus regionibus prope deficiente, annitebatur ut Afri indigenae, praesertim e regione « Senegambia », ad Catholicum sacerdotium rite ineundum informarentur. Profecto, anno millesimo octingentesimo quadragesimo, congruo tirocinio in Gallia emenso, nonnulli ex gente illa sacerdotio primi initiati sunt. Attamen Venerabilis Dei Famula, caritati christianae insistens, gentes excolens ad humanitatem, longe maioris momenti opere nomen suum immortalitati commendavit : namque omnium virium contentione enixa est ut indigena mancipia christianis institutis bonisque artibus erudiret atque in libertatem penitus vindicaret. Ad tam nobilem finem consequendum, in Gallicas Americae colonias, arduis susceptis itineribus, pluries se contulit, innumerabiles difficultates strenue superavit, et adversam hominum voluntatem fortiter tolerans Deoque confisa, per multos annos est luctata. Et Deus tandem victoriam dedit Ancillae suae, cuius apud indigenas erat tanta auctoritas, ut « Angelus », « Apostolus », « Mater » passim appellaretur ; quin Galliae Moderatores, immo et Rex ipse, a quibus iam pridem fuerat adiuta, libertatem, miseris servis illis impertitam, ratam habuerunt. Qua in re indefatigata haec caritatis Administra nomen consecuta est tam amplum, ut vel coram regionis magistratibus diplomata manumissionis ipsa sola pauperibus illis attribuere soleret. Cum autem ex America tandem in patriam rediisset, Congregationem suam moderata est auxitque magno cum consilio et industria, et Episcopos, antea sibi minus faventes, qua erat humilitate, sibi conciliavit. Denique, cum Venerabilis Mater in Religiosum Institutum firmandum

et in missionalibus regionibus provehendum sedulo incumberet eiusque Statuta Sedi Apostolicae approbationis causa cuperet subicere, Ipsa, viribus fracta, in gravem morbum incidit. Tota in Deo defixa, cuius sanctae voluntati iugiter se devoverat, complorantibus omnibus sororibus, Lutetiae Parisiorum die decima quinta mensis Iulii, anno millesimo octingentesimo quinquagesimo primo, aetatis suae fere septuagesimo secundo, Ecclesiae Sacramentis pluries refecta, spiritum Deo reddidit. Tantum fuit illico tam Venerabilis Matris desiderium, tantus maeror, tanta sanctitatis fama, ut verba illa divinitus inspirata « Non exstinguetur in nocte lucerna eius » (Prov., XXXI, 18), Illi sane tribui viderentur. Cum autem memoria Annae Mariae Javouhey eiusdemque sanctitatis fama, post eius mortem, temporis decursu magis in dies percrebrescerent, processu Ordinario in Curia Parisiensi inito et de more confecto, Causa de Beatorum caelitum honoribus ipsi Servae Dei decernendis apud Sacrorum Rituum Congregationem agitari coepta est, ita ut die decima octava mensis Februarii, anno millesimo nongentesimo octavo, Venerabilis Pius PP. X, Decessor Noster, Introductionis causae Commissionem manu propria signaverit. Inquisitionibus igitur iudicialibus in eadem Curia ad iuris normam expletis ceterisque omnibus rite absolutis, Decessor Noster, rec. mem., Pius PP. XI, cum super Dei Famulae virtutibus disceptari quoque coeptum sit, Decreto die vicesima septima mensis Maii, anno millesimo nongentesimo trigesimo septimo, edito, Annae Mariae Javouhey virtutes heroicum attigisse fastigium declaravit. Quaestio postea est suscepta de miraculis, quae, Ipsa intercedente, patrata a Deo ferebantur. Rebus omnibus acerrimo iudicio investigatis, post duas Congregationes, Antepraeparatoriam nempe ac Praeparatoriam, nec non post Generalem Congregationem, coram Nobis die nona mensis Novembris, anno millesimo nongentesimo quadragesimo octavo, habitam, Nos Ipsi, per Decretum die undevicesima mensis Decembris eodem anno editum, de eorum veritate constare auctoritate Nostra declaravimus, proindeque in casu ulterius procedi posse. Illud tantum discutiendum supererat num Venerabilis Dei Serva inter Beatos Caelites recensenda tuto foret. Hoc dubium a Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, atque Causae Ponente seu Relatore, propositum est in Generali Congregatione coram Nobis habita die decima octava mensis Ianuarii anno millesimo nongentesimo quadragesimo nono; omnesque qui aderant, cum Cardinales tum Praelati Officiales Patresque Consultores, unanimi-

ter in affirmativum suffragium consenserunt. Nos vero in tanti momenti re Nostram aperire mentem distulimus, ut divinum beneplacitum Nostris adstantiumque precibus cognoscere exposceremus. Quod cum impense fecissemus, tandem die decima tertia mensis Februarii, Dominica in Septuagesima, proximo elapso anno, Eucharistico Sacro rite litato, ac citis memorato Cardinali Relatore nec non Venerabili Fratre Alfonso Carinci, Archiepiscopo titulo Seleuciensi in Isauria et eiusdem Congregationis a Secretis, atque Dilecto Filio Salvatore Natucci, Fidei Promotore Generali, ad sollemnem Venerabilis Dei Famulae Annae Mariae Javouhey Beatificationem, auctoritate Nostra Apostolica, *tuto* procedi posse ediximus. Quae cum ita sint, Instituti praesertim Sororum Sancti Ioseph « de Cluny » vota implentes, praesentium Litterarum vi atque Apostolica Nostra auctoritate, facultatem facimus ut Venerabilis Dei Famula Anna Maria Javouhey, memorati Sororum Instituti Fundatrix, nomine Beatae in posterum nuncupetur, eiusque corpus ac ipsana seu reliquiae, non tamen in sollemnibus supplicationibus deferenda, publicae Christifidelium venerationi proponantur; itemque permittimus ut eiusdem Servae Dei Imagines radiis decorentur. Praeterea eadem Auctoritate Nostra concedimus ut de Beata ipsa quotannis recitetur Officium et Missa celebretur de Communi Virginum, cum Lectionibus et Orationibus propriis per Nos adprobatis, iuxta Breviarii Romani et Missalis rubricas. Huiusmodi vero Officii recitationem et Missae celebrationem fieri dumtaxat largimur in Divionensi dioecesi, ubi nata est Dei Famula, et in Parisiensi Archidioecesi, ubi Ipsa supremum obiit diem; itemque Officium et Missam permittimus in templis et sacellis ubique terrarum sitis, quibus Congregatio Sororum Sancti Ioseph « de Cluny » utitur, ab omnibus fidelibus qui Horas canonicas recitare teneantur; et, quod ad Missas attinet, ab omnibus presbyteris ad templa seu sacella memorata convenientibus, in quibus eiusdem Beatae festum agatur. Facultatem demum impertimur ut sollemnia Beatificationis Venerabilis Ancillae Dei Annae Mariae Javouhey, servatis servandis, in supradictis templis seu sacellis celebrentur, diebus legitima auctoritate designandis, intra annum postquam sollemnia eadem in Sacrosancta Patriarchali Basilica Vaticana rite peracta fuerint. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ac Decretis de non cultu editis ceterisque contrariis quibuslibet. Volumus autem ut harum Litterarum exemplis, etiam impressis, dummodo manu Secretarii Sacrae Rituum Congregationis subscripta sint atque eiusdem Congregationis sigillo munita, in disceptationibus quoque iudicialibus eadem prorsus

fides adhibeatur, quae Nostrae voluntatis significationi, hisce ostensis Litteris, haberetur.

Datum ex Arce Gandulphi, sub anulo Piscatoris, die XV mensis Octobris, Dominica XX post Pentecosten, anno MCML, Pontificatus Nostri duodecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis

EPISTULAE

I

AD EM̃UM P. D. BERNARDUM TIT. SS. ANDREAE ET GREGORII AD CLIVUM SCAURI S. R. E. PRESB. CARDINALEM GR̃IFFIN, ARCHIEPISCOPUM WESTMONASTERIENSEM, QUEM LEGATUM ELIGIT AD SOLLEMNIA CELEBRANDA OB IMPLETUM SAECULUM A RESTAURATIONE CATHOLICAE HIERARCHIAE IN ANGLIA ET CAMBRIA.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Saecularis volvitur annus, ex quo catholica hierarchia, quae in Anglia et in Cambria iam diu desiderabatur, a Decessore Nostro imm. mem. Pio IX per Apostolicas Litteras feliciter restituta fuit (Litt. Apost. *Universalis Ecclesiae* d. d. XXIX mensis Sept. a. MDCCCL). Ac si placet admodum vobis hoc digne commemorare, haud minus profecto Nobis libet ea omnia mente repetere, quae bona, fausta, salutaria hoc eventum consecuta sunt. Catholicum dicimus nomen maiore apud vos in aestimatione habitum; templa non pauca vel funditus excitata, vel ad pristinum revocata decus; litterarum ludos disciplinarumque instituta multis locis a vobis aperta et a frequentiore usque iuventute celebrata; sacrorum administros numero virtuteque auctos: fidelium denique agmina validiora semper atque cotidie cum Pastoribus suis arctius coniuncta.

Haec omnia praeclaro argumento sunt quam feliciter Ioannes Henricus Newmanus Cardinalis, gentis vestrae lumen et decus eximium, aetatem, quae catholicam constitutam hierarchiam exceptura esset, cum secundo vere novo comparandam praeviderit.

Quae autem hoc elapso saeculo a maioribus vestris et a vobis alacriter acta fuere, ex iis auspicium sumatis ad altiora usque, Deo iuvante, assequenda.

Oportet quidem vos, qui et sanctae Ecclesiae filiis anuumerari et in communem rei publicae utilitatem maxime conferre merito gloriamini, christianae idcirco virtutis nitore omnibus praelucere. At praecipue oportet supplices ad Aeternum Numen admovere preces ut Catholica Ecclesia apud vos maiora in dies capiat incrementa.

Qui plurimi in Natione vestra — quae iure meritoque « altrix Sanctorum insula » vocata fuit — inde a remota antiquitate fuere catholicae doctrinae unitatis adsertores ac vindices praeclarissimi, iidem exemplo hortamentoque vobis sint; et qui ex vestratibus iam in caelestis beatitatis sede suorum laborum fruuntur praemio, iidem hac praesertim faustitate vobis peculiari modo adsint, ac superna a Deo vobis postulent auxilia.

Nos vero, qui Anglorum gentem universam paterna adamamus voluntate, hanc divinam Iesu Christi obsecrationem vehementi cum fiducia iteramus: « Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi; ut sint unum, sicut et nos... Sanctifica eos in veritate; sermo tuus veritas est... Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sint per verbum eorum in me; ut omnes unum sint... ». [1]

Interea autem, quo saecularibus hisce celebrationibus maius accedat decus, te, Dilecte Fili Noster, Legatum Nostrum « a latere » deligimus ac nominamus, qui habendis coetibus sacrisque ritibus nomine Nostro praesis, eosdemque efficias Romanae purpurae maiestate splendidiores.

Ac caelestium esto gratiarum auspex Nostraeque benevolentiae testis Apostolica Benedictio, quam cum tibi, Dilecte Fili Noster, ceterisque Angliae et Cambriae sacrorum Antistitibus, tum clero ac populo vobis concredito amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XVI mensis Septembris, anno MDCCCCL, Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XII

[1] IOAN., XVII, 11, 17, 20, 21.

II

AD EM̃UM P. D. EMMANUELEM TIT. SANCTORUM MARCELLINI ET PETRI S. R. E. PRESB. CARDINALEM GONÇALVES CEREJEIRA, PATRIARCHAM LISBONENSEM, QUEM LEGATUM DELIGIT AD SOLLEMNIA CELEBRANDA QUARTO EXEUNTE SAECULO AB OBITU S. IOANNIS DE DEO, ORDINIS FRATRUM HOSPITALITATIS CONDITORIS.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Sacra propediem celebrari sollemnia, quarto labente saeculo a piissimo obitu Sancti Ioannis Cidade, vulgo « de Deo » appellati, peropportunum censemus non modo ad privatam Christi fidelium religiosam utilitatem, verum etiam ad coniunctionem Lusitanicae gentis cum Hispanica feliciter confirmandam. Si enim praeclarissimus Ioannes, in venusto quidem oppido Montis Maioris Iunioris, haud procul ab urbe Lusitaniae capite, ortum habuit, ibique puer virtutis excepit rudimenta, in urbe tamen Granatensi geminum atque amplum valetudinarium e solo excitavit iecitque fundamenta novi Ordinis Fratrum Hospitalitatis, qui quattuor horum saeculorum decursu longe lateque per orbem diffusi sunt. Iure igitur meritoque recens inita sunt consilia, ut venerandum corpus Sancti Ioannis de Deo, quod in augusto templo Granatensi religiose adservatur, per aliquot dies transferatur in Lusitaniam ac fidelium oculis cultuique exponatur, sacrique ritus in urbibus supra memoratis sollemniter celebrentur, praesentibus in primis Ecclesiae Praesulibus ac rei publicae civilibusque utriusque nationis Magistratibus. De hisce itaque propositis Nos valde libenterque gratulamur, non parvum sane pietatis virtutisque incrementum in utroque populo exspectantes. Habent enim in Ioanne de Deo omnes Christi fideles exemplar splendidissimum poenitentiae singularis suique contemptus, divinarum rerum contemplationis adsidueque orandi studii, extremae paupertatis ac perfectae oboedientiae; habent ii praesertim, qui in nosocomiis, hospitiisque suam impendunt operam aegrotis curandis, adiuvandis solandisque, in caelesti ipsorum Patrono fulgidissimum caritatis speculum, in quod intueantur, ad animarum corporumque infirmorum profectum magis magisque in dies excitandum. Iam vero, quo proxima saecularia sollemnia maiore auctoritate peragantur, Prior Generalis Hospitalarii Ordinis Sancti Ioannis de Deo, cui quidem vertente hoc anno Nostra vota atque omina paterne significavimus per Epistulam « Quattuor ante saecula », die XV mensis Februarii datam, enixis Nos precibus rogavit, ut

per Cardinalem quendam Legatum adesse ac praeesse Lusitanicae atque Hispanicae celebrationi, Ipsi velimus. Huiusmodi igitur precibus adnuendum esse existimantes, te, Dilecte Fili Noster, qui Romana purpura nitens in praenobili Lisbonensi Patriarchatu sedes, Legatum Nostrum hisce Litteris eligimus ac renuntiamus, ut Nostram gerens Personam sacris sollemnibus, qui ineunte proximo Octobri mense tam in Lusitania quam in Hispania celebrabuntur, nomine Nostro Nostraque auctoritate praesideas. Tibi praeterea facultatem tribuimus, ut, die constituta, Sacro pontificali ritu peracto, adstantibus fidelibus nomine Nostro benedicas, plenariam indulgentiam iisdem proponens, peculiaribus servatis normis ad Sacrum Iubilaeum pertinentibus. Plane autem confidimus te, pro egregia tua erga Sanctum Ioannem de Deo observantia, proque amicitiae vinculis, quibus Hispaniae populo devinciris, perhonorificum munus, tibi a Nobis delatum, prospere utiliterque esse exsecuturum. Supernorum interea donorum conciliatrix et nuntia, praecipuaeque Nostrae benevolentiae testis esto Apostolica Benedictio, quam tibi, Dilecte Fili Noster, cunctisque Praesulibus ac fidelibus sacris sollemnibus adfuturis amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXIII mensis Septembris, anno MDCCCCL, Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XII

III

AD REVM̃UM D. IOACHIMUM CARREIRA, PONTIFICII LUSITANORUM COLLEGII URBANI RECTOREM : QUINQUAGESIMO VERTENTE ANNO AB EODEM COLLEGIO CONDITO

PIUS PP. XII

Dilecte fili, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Quinquagesimus sane impletur annus, ut libenter agnovimus, postquam clericorum Lusitanorum Collegium nutu ac liberalitate Leonis XIII imm. mem. Decessoris Nostri in hac alma Urbe secundis est conditum auspiciis. Cuius quidem eventus faustitatem, pro impensa cura et benevolentia qua Nos idem prosequimur, silentio praetermittere nequimus. Ex hoc enim virtutum studiorumque domicilio, prope limina Apostolorum Principum augustamque Petri Cathedram collocato, ubi adolescentium clericorum animi, dum litteris doctrinisque sacris penitus imbuuntur, Romanae fidei pietatisque ardore inflammantur, iidemque exemplo tot heroico-

rum hominum martyrumque reliquiarum fragrantia recreantur, non parva prodiit sacerdotum seges, qui sacris perfuncti muneribus, sive in ipsa Lusitania, sive in dioecesibus eius transmarinis, de Ecclesia catholica pariter ac civili consortione egregie meruerunt. Debitae sunt igitur in primis Deo gratiae persolvendae, cuius favore et adiumento copiosi fructus ex isto Ecclesiae viridario percepti sunt, deinde Lusitanis Episcopis, qui haud parvo studio industriaque urbano Collegio obsecundantes, iuvenes ingenio, pietate ceterisque animi laudibus praestantes Romam instituendos miserunt, nec non tibi, dilecte fili, qui eorum educationi ac profectui sollerter moderaris. Ex hac autem quinquagenaria memoria ac celebratione iucunda spes affulget fore, ut Lusitani ipsi Praesules, novas temporum condiciones ac difficultates probe noscentes, operam suam suorumque adiutorum exacuere velint, praesertim in ecclesiasticis vocationibus detegendis tuendisque, et delecti Collegii istius alumni, amplitudinem Dei beneficii sibi large collati pro merito aestimantes, maiore in dies sedulitate, actuosiore virtutum studiorumque exercitio exiguam candidatorum copiam quodammodo repensare conentur. Quod profecto efficaciter consequentur, si animum exhibeant tenacem propositi, integrum, incorruptum, caritate erga Deum proximosque flagrantem, alacrem semper ac paratum ad omnes labores pro sempiterna animarum salute suscipiendos. Quod ut e sententia contingat, Sacratissimo Cordi Iesu, « in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi », [1] cuique a suis primordiis Collegium se auspicato devovit, instanti prece commendamus, ut praesidio suo idem tueatur ac magis magisque in posterum fortunet incrementis. Hisce votis ominibusque Nostris Apostolicam Benedictionem, auspicem caelestium donorum effusaeque caritatis Nostrae testem, tibi, dilecte fili, tuis laborum sociis cunctisque alumnis, qui sunt aut fuere, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XVIII mensis Octobris, anno MDCCCCL, Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XII

[1] *Col.* II, 3.

SOLLEMNIS CONVENTIO
INTER SANCTAM SEDEM ET REMPUBLICAM LUSITANAM

ACCORDO
TRA LA
SANTA SEDE
E LA
REPUBBLICA PORTOGHESE

La Santa Sede ed il Governo Portoghese, avendo riconosciuto la convenienza di adattare alla nuova situazione dell'India le disposizioni stipulate nel Concordato firmato a Roma il 23 giugno 1886 e nell'Accordo firmato nella stessa città il 15 aprile 1928,

hanno nominato Plenipotenziari:

per parte della Santa Sede Sua Eccellenza Reverendissima Monsignor DOMENICO TARDINI, Segretario della Sacra Congregazione degli Affari Ecclesiastici Straordinari;

e per parte del Governo portoghese, Sua Eccellenza il Signor Dottor PEDRO TOVAR DE LEMOS Conte di TOVAR, Ambasciatore Straordinario e Plenipotenziario presso la Santa Sede;

i quali, scambiati i loro rispettivi pieni poteri e trovatili in buona e dovuta forma, hanno convenuto negli articoli seguenti:

ACÔRDO
ENTRE A
SANTA SÉ
E A
REPÚBLICA PORTUGUESA

A Santa Sé e o Govêrno Português reconhecendo a conveniência de adaptar à nova situação da India as disposições estipuladas na Concordata assinada em Roma em 23 de Junho de 1886 e no Acôrdo assinado na mesma cidade em 15 de Abril de 1928,

nomearam seus Plenipotenciários:

por parte da Santa Sé, Sua Excelência Reverendíssima Mons. DOMENICO TARDINI, Secretário da Sagrada Congregação dos Negócios Ecclesiásticos Extraordinários,

e por parte do Govêrno Português, Sua Excelencia o Sr. Dr. PEDRO TOVAR DE LEMOS Conde de TOVAR, Embaixador Extraordinário e Plenipotenciário junto da Santa Sé,

os quais, trocados os seus respectivos plenos poderes e achados em boa e devida forma, acordaram nos artigos seguintes:

Art I

Il Governo Portoghese rinuncia al privilegio della presentazione conferito al Presidente della Repubblica Portoghese per la provvista delle sedi di Mangalore, Quilon, Trychinopoli, Coccino, San Tommaso di Meliapore e Bombay.

Art. II

Il Governo Portoghese considera la Santa Sede libera dall'impegno di consultare il Presidente della Repubblica di Portogallo e di nominare Vescovi di nazionalità portoghese alle sedi di Coccino e di San Tommaso di Meliapore.

Art. III

Il Governo Portoghese considera parimenti libera la Santa Sede dall'impegno di nominare alla sede arcivescovile di Bombay un Arcivescovo di nazionalità portoghese alternativamente con un Arcivescovo di nazionalità britannica.

Art. IV

Cessando i privilegi di cui agli art. II e III, i candidati portoghesi, sia europei che goani o di altra origine, non avranno a soffrire, com'è ovvio, alcun pregiudizio, a motivo della loro nazionalità, nei confronti

Art. I

O Govêrno Português renuncia ao privilégio de apresentação atribuido ao Presidente da República Portuguêsa para o provimento das Sés de Mangalor, Quilon, Trichinopolis, Cochim, S. Tomé de Meliapôr e Bombaim.

Art. II

O Govêrno Português considera a Santa Sé desligada do compromisso de consultar o Presidente da República Portuguêsa e de nomear Bispos de nacionalidade portuguesa para as Sés de Cochim e de S. Tomé de Meliapôr.

Art. III

O Govêrno Português considera a Santa Sé desligada tambem do compromisso de nomear para a Sé arquiepiscopal de Bombaim um Arcebispo de nacionalidade portuguesa alternadamente com um Arcebispo de nacionalidade britânica.

Art. IV

Embora cessem, a contar desta data, os privilégios referidos nos artigos II e III, os candidatos portugueses, tanto europeus como goeses ou de outra origem, não sofrerão de futuro, como é obvio, qualquer pre-

di altri eventuali candidati stranieri, nella provvista delle diocesi indiane.

Art. V

Le disposizioni degli articoli precedenti si riferiscono unicamente alla provvista delle diocesi indicate e non alla proprietà dei beni, dei tesori artistici, delle scuole, ecc., del Patronato portoghese, che continueranno ad essere riconosciuti dalla Santa Sede come proprietà degli enti ai quali attualmente appartengono.

Art. VI

Il Governo Portoghese si impegna a prendere nella dovuta considerazione nello spirito di questo Accordo, una eventuale nuova delimitazione dell'arcidiocesi di Goa alla quale la Santa Sede giudicasse necessario di procedere.

Art. VII

Rimarranno in vigore le altre disposizioni del Concordato del 1886 e dell'Accordo del 1928, non espressamente modificate con il presente Accordo, specialmente per quanto riguarda la dignità metropolitana e patriarcale della sede di Goa, come pure la nazionalità dei parroci di determinate parrocchie.

juizo por motivo da sua nacionalidade, em relação a eventuais candidatos extrangeiros, no provimento das dioceses indianas.

Art. V

As disposições dos artigos anteriores referem-se ùnicamente ao provimento das referidas dioceses, e não à propriedade dos bens, dos tesouros artisticos. das escolas, etc., do Padroado, que continuarão a ser reconhecidos pela Santa Sé como propriedade das entidades às quais actualmente pertencem.

Art. VI

O Govêrno Português compromete-se a considerar na devida oportunidade e dentro do espirito dêste Acôrdo, uma eventual nova delimitação da Arquidiocese de Gôa a que a Santa Sé julgue necessário proceder.

Art. VII

Continuarão em vigôr as mais disposições da Concordata de 1886 e do Acôrdo de 1928, não expressamente alteradas pelo presente Acôrdo, designadamente quanto à dignidade metropolitana e patriarcal da Sé de Gôa, bem como quanto à nacionalidade dos pàrocos de determinadas Paróquias.

Art. VIII

Il Governo Portoghese resta libero dall'obbligo di provvedere alla dotazione delle diocesi di Coccino e di S. Tommaso di Meliapore, come era previsto nell'art. 6 del Concordato del 1886, e dagli altri oneri che aveva verso i territori ora distaccati dal Patronato.

Art. IX

Il presente Accordo sarà ratificato e gli strumenti di ratifica saranno scambiati in Lisbona entro il più breve tempo possibile.

Fatto in duplice esemplare.

Città del Vaticano, 18 luglio 1950.

L. ✠ S. DOMENICO TARDINI

Art. VIII

O Govêrno Português fica desobrigado de provêr à dotação das dioceses de Cochim e de Meliapôr, como se previa no artigo 6 da Concordata de 1886 e dos mais encargos que lhe impendiam quanto às àreas agora desligadas da Padroado.

Art. IX

O presente Acôrdo será ratificado e os instrumentos de ratificação serão trocados em Lisboa no mais curto praso possivel.

Feito em duplo exemplar.

Cidade do Vaticano, 18 de Julho de 1950.

L. ✠ S. TOVAR

Os abaixo assinados, Monsenhor PIETRO CIRIACI, *Arcebispo titular de Tarso, Núncio Apostólico, e Doutor* PAULO ARSÉNIO VIRISSIMO CUNHA, *Ministro dos Negócios Estrangeiros da República de Portugal, devidamente autorizados, reuniram-se na cidade de Lisboa, no Ministério dos Negócios Estrangeiros, aos dez de Outubro de mil novecentos e cincoenta, para proceder à troca de ratificações do Acordo entre a Santa Sé e a República Portuguesa, concluido e assinado na cidade do Vaticano aos dezoito dias do mês de Julho de mil novecentos e cincoenta;*

E, tendo achado conforme e em boa e devida forma os dois respectivos instrumentos de ratificação, efectuaram a sua troca.

Em fé do que, no lugar e dia acima declarados, assinaram a presente Acta, em dois exemplares, apondo-lhe os seus respectivos selos. *

Lisboa, 10 de Outubro de 1950.

† PIETRO CIRIACI
PAULO CUNHA

* *I sottoscritti, Monsignor* PIETRO CIRIACI, *Arcivescovo titolare di Tarso, Nunzio Apostolico, e Dottor* PAOLO ARSENIO VIRISSIMO CUNHA, *Ministro degli Affari Esteri della Repubblica di Portogallo, debitamente autorizzati, si sono riuniti nella città di Lisbona, nel Ministero degli Affari Esteri, il 10 ottobre 1950, per procedere allo scambio delle ratifiche dell'Accordo tra la Santa Sede e la Repubblica di Portogallo, concluso e firmato nella città del Vaticano il 18 luglio 1950;*

E, avendo trovato conformi ed in buona e dovuta forma i due rispettivi strumenti di ratifica, effettuarono il loro scambio.

In fede di che, nel luogo e nel giorno sopra indicati, sottoscrissero il presente Atto, in due esemplari, apponendovi i rispettivi sigilli.

Lisbona, 10 ottobre 1950.

† PIETRO CIRIACI
PAULO CUNHA

ALLOCUTIONES

I

Iis qui internationali Conventui Catechesi provehendae Romae interfuerunt. *

Perquam laeto fidentique animo vos excepimus, Venerabiles Fratres et dilecti filii, qui Romae Conventum ex omnibus nationibus catechesi provehendae celebrastis. Qui si nulli habeatur secundus ex iis, qui recens in alma Urbe acti sunt, id ex veritate aestimabitur, ubi probe reputantur rationes, ob quas eius momentum et pondus apparet, ac scilicet ubi cogitatur, quisnam eum indixerit, quinam convocati sint, quaenam sint ibidem pertractata. Sacrum Consilium cleri populique disciplinae praepositum eum coëgit; qui ei interfuerunt, viri sunt ex multis catholici orbis dioecesibus munere et ingenio praestantissimi; considerationis vero materies catholica doctrina fuit, toto quo patet ambitu, et ad singulas humanae societatis classes impertienda.

Vobis autem voluntas fuit, ut concelebratus Congressus in Annum Sacrum, qui nunc sub occasum vergit, incideret, quippe qui et coetibus et inceptis vestris maximam temporis opportunitatem praeberet; nec poterat salutarius et laudabilius vestrum esse consilium. Anni Sacri enim nomen, solummodo aliqua ex parte huic temporis tractui conveniret, si tantum caelestem gratiam sontibus, qui eam amisissent, comportaret eosdemque duceret « ad admissorum expiationem emendationemque vitae », [1] si tantum ad pietatis et caritatis actus faciendos iterandosque impelleret. Iure ex Anno Sacro maiora exspectamus. Christianae nempe vitae, qua eius fines patent, restaurationem et incrementa inde exspectamus; omnium contentionem et nisum urgemus « ad virtutem sactitudinemque assequendam ». [2]

Nunc vero quaenam sunt impedimenta, quae excelso huic operi obsistunt? Quaenam sunt praesidia, quae natura sua id provehunt?

De impedimentis tantus effusus est sermo, ut eorum recensio et enumeratio haud difficulter reddi posse videatur. Sunt quae introrsus egignuntur, sunt quae exstrinsecus cooriuntur. Intrinsecus sunt turbati humani animi motus, elatio, libido, doloris et laboris aspernatio et fuga;

* Habita die 14 Octobris mensis a. 1950.

[1] Cfr. *Indict. Universalis Iubilaei. A. A. S.*, col. XLI, p. 257.

[2] *Ibid.*

forinsecus sunt malorum daemonum sollicitationes, immundi mundi nugacitates et fascinationes, vel maxime nunc temporis propalati errores usque ad apertam atheismi professionem, ut omittamus de institutis loqui, quae vi et coactione ipsam infantiam, ipsam puerilem aetatem erratis opinionibus imbuere non verentur. Quae impedimenta effectu carere non possunt, si omnino abest aut impar positum est prorsus necessarium stabile et satis latum fundamentum.

Dixerit quispiam hoc fundamentum esse leges, decreta, usus, legitimos ritus. Haec omnia, quamvis bona aestimentur, rami sunt, radix non sunt; ac tunc nativa utilitate pollent, si inde doctrina veritatis in rem deducenda redundat, quae quidem doctrina et dogma et morum leges et divini cultus instituta amplectitur. Quodsi doctrinae sustentaculum deest, illa cuncta veluti nubibus suspensa vacua vagantur. At vero si doctrina summo studio colitur et operibus viget, malorum, quae antea conquesti sumus, effectus, si non omnino evanescunt, quod proh dolor rarissimum est, saltem minuuntur, ac sinunt hominem, christianum hominem inquimus, expeditius progredi.

At vero catholica fides et christiana doctrina ex hominum animis salutares fructus educere vix valent, nisi ab eorum nuntiis et magistris amplitudine, convenientia, alacritate, contentione, quae addecent quaeque instanter poscuntur, dispensantur. Conventus vester id sibi proposuit, ut ad haec quaesita responderet et vitiis, si qua reperirentur, remedia afferenda monstraret.

Ac Nos quidem laeti hac occasione utimur, ut vobis hic adstantibus et omnibus religiosae institutioni operam navantibus paternum assensum Nostrum et eximias adhibeamus laudes ob fere immensum laborem, quem ubique gentium impendistis et impenditis ad iuventutem divitiis sapientiae et scientiae christianae fidei ditandam et exornandam et ad provectiores aetate in eodem instructu confirmandos non sine ingenti emolumento et profectu totius Ecclesiae sanctae Dei. Munus vestrum falso aliquibus humile esse videtur: magnum id est ac merito adnumeratur apostolicis operibus, quae gravissima sunt et principem tenent locum. Quodsi deficiens sacerdotum numerus exigit ac flagitat, ut quotannis plures laici viri et mulieres ad eandem eruditionem impertiendam eligantur, praeparentur et instituantur, tamen valde optandum est, ut ipsi sacerdotes in hoc sacro ministerio versentur, etiam ex eo quod ipse rerum usus edocet religiosam doctrinam, a sacerdote, fidei studio et caritatis ardore inflammato, efficacissimam constituere rationem, qua pueri et sacerdotio et Ecclesiae devinciantur.

Ad Conventum autem vestrum quod attinet, quae vobis edisserenti-

bus proposita sunt, gremio ambituque suo omnia continent, vel saltem tangunt, quae ad catechesim spectant: religiosam nempe institutionem omnibus aetatibus, pueris, adulescentibus, adultis impertiendam; loca ac sedes huic disciplinae accommodanda. Actum praeterea est de paroeciis, de scholis cuiuslibet generis, de hominibus qui ibidem docent, de singulis ipsorum muneribus, de eorum temperatione sive generali, sive paroeciali, sive denique dioecesana, de sacerdotibus et laicis hominibus eorum auxiliatoribus, deque praesidiis quae iis omnibus praesto sint. Docti magistri quaestiones enodarunt; libera ac rite composita subsecuta est disceptatio eo praecipuo consilio, ut actioni vitae utiles normae et conclusiones statuerentur. Quare Nobis persuasum est Conventum vestrum potissimos et durabiles fructus esse collaturum.

Ut autem monuimus, religiosa institutio ad ea omnia pertinere debet, quae Ecclesiae doctrinae sunt propria: ad dogma, ad morum leges, ad divinum cultum. Praesertim in hominibus provectioris aetatis religiose erudiendis, summopere interest, ut doctrinae de Deo, de Christo deque eius divinitate, de Ecclesia, qua ea institutio est Christi, primae attribuantur partes. Quae quidem tria, si solide et alte insideant mentibus, et in scholarum saeptis et in publicae commerciis vitae, alia multo minores difficultates parient.

Liquido patet haec, quantumvis ardua, nihilo secius proponi debere pro auditorum aevo, intellectu, eruditione. Cum hominibus, in quibus adolescit aetas, ac praesertim in scholis celsioris ordinis, tractari possunt et aliquando debent quaestiones, per accessionem adiectae, quae vitae usibus utiles sunt, et philosophiae christianae disceptationes; necnon quaestiones, quae inter Sacras Scripturas et doctrinas de rerum natura et historicas disciplinas proponuntur. Quoad modum christianae institutionis dandae, haud dubie prodest in dicendo perspicuitas, prodest in enarrando evigilata moderatio; devincit aures sermo, si fluit vividus, alacer, imaginandi vi locuples, exemplis collustratus, gratis comparationibus exornatus. Verum in hac ratione et via duo vitandi sunt scopuli: ex altera parte cavendum est, ne per oblectandi et relaxandi animi causam laedatur rebus sacris debita reverentia, pietas, intima persuasio, et haerat cogitationi et memoriae allegoria vel narratiuncula, dum quae praecipua sunt noxie in umbra relegentur; altera ex parte id fugiendum est, ut materies, quae docetur, decernatur ad placitum, ad votum, ad mutabile alumnorum iudicium et hodie, ut Isaiae prophetae tempore, recantetur: « Loquimini nobis placentia ». [3]

Ex iis, quae adhuc a Nobis dicta sunt, facile arguuntur quae ad ma-

[3] Is., 30, 10.

gistrum spectent, qualem eum esse oporteat. Munere fungens, quod re et assecutione metae supernaturale est, sit is solida fide et precandi studio praeditus (si fusius id urgeremus, eum videremur iniuria afficere); fidenter agat, in bonam partem cuncta sancte convertat. Nolit despicere et parvipendere ingenium etiam parvulorum et illitteratorum, nolit minus aequo aestimare magnanimos eorum spiritus, caelitus infusae fidei donum, gratiam, quam Deus omnibus dilargitur, lumen videlicet supernae veritatis et ad caelestia animorum propensionem.

Aliud scitu necessarium est. Catechista prorsus se deciperet et lamentabiliter deerraret, si opinaretur pro rudi auditorum ingenio satis esse curtam et ieiunam rerum notitiam. Nimirum contrarium verum est. Siquidem officio tenetur tum omnia, quae fidei praecipua sunt capita, proponendi, tum eadem etiam obtusis ingeniis et imparatis mentibus adaequare. Quare oportet eum psycologiae doctrinam probe callere, ut eorum intellegentiam iusto perpendat iudicio; oportet quoque eum multam impendere operam, ut sese ad eorum necessitates convenienter inflectat. Minoris autem pretii non est quod postremo dicimus. Summopere exquiritur, ut doctor discat, sine ulla intermissione discat. Non desidiosus non incuriosus et incuratus, sermones suos, et ad argumentum et ad modum quod attinet, diligenter praeparet efficiatque, sive felicibus sive infaustis usus experimentis, ut haec ad provehendam catechesis artem convertat. Omnia autem, quae molitur et agit, caritas extollat, religionis studium foveat, preces fecundent.

Quae omnia, imo alia plura viri religiosae doctrinae et catechesis consulti atque periti abunde collustrarunt. Unum Nobis animadvertere liceat: omnes, imprimis sacerdotes, qui in scholis celsioris ordinis religionem docent, hortamur, ut saepissime cogitent se discipulorum suorum adstrictam rationem Deo relaturos esse. Animus Noster percellitur, cum ex publicis indagationibus, quae nunc institui solent, pro aetatis, sexus, scholarum diversitate, id comperitur maiorem partem eorum qui a fide deficiunt, ad miserrimum naufragium devenisse ob defectum et noxiam sacerdotum. Contra ii qui in civitate et natione munera auctoritate et nobilitate praestantia tenuerunt et tenent, si in catholica fide firmiter perstiterunt eidemque liberaliter faverunt, id persaepe debetur eruditioni et alacritati alicuius sacerdotis necnon eius honestissimo virtutis exemplo.

Cum domum, ad vestras nempe dioeceses redieritis, facite, ut per hos dies lecta beneficia cum vestratibus communicetis, qui alii alio nomine in religiosa institutione adiutricem operam navant; facite ut, vestro incensi studio, pluris semper aestiment sanctum istud ac salutare offi-

cium; eisdemque auxiliamini, ut commissa sibi munia apte, actuose, fructuose obeant.

Hac freti fiducia vobis, adiutoribus vestris et universis iis, qui ex ore vestro sacras veritates percipient, peramanter et perlibenter benedicimus.

II

Ad Exc̃num Virum Aloisium Ignatium Andrade, Oratorem extra ordinem liberis cum mandatis Columbianae Reipublicae, Summo Pontifici Litteras publicas porrigentem. *

Señor Embajador:

El cambio de Jefe de misión en la Embajada de Colombia ante Nós, no significa mutación alguna en las recíprocas y amistosas relaciones, que, por dichosa tradición, unen a esta Sede Apostólica con su hermoso país, como corresponde a una nación, cuya historia está entrelaza con la de la Iglesia misma en Hispanoamérica, desde los días en que Alonso de Ojeda, en las postrimerías del siglo XV, avistó por primera vez vuestras costas; o, más tarde, desde que una pléyade de valientes y cristianos descubridores españoles — Juan de la Cosa, Vasco Núñez de Balboa, Belalcázar y, sobre todo, Gonzalo Jiménez de Quesada — penetraron en lo más recóndito de sus selvas vírgines, para llevarles a un tiempo la civilización y la verdadera fe.

Los profundos pensamientos, que acaba de manifestar Vuestra Excelencia al dar comienzo a su misión, son la mejor garantía de que — escogido por el Jefe del Estado para representar a la ilustre nación colombiana — se siente movido a penetrar cada vez más en la consideración de lo que es la naturaleza peculiar de la alta misión, que la ha sido confiada, poniendo en ello todas las energías de su mente y todos los recursos de su voluntad.

Esta consideración, en verdad, conduce por sí misma, al necesario reconocimiento y a la paladina afirmación de la función providencial y de la insustituible misión que corresponde a esta Sede de Pedro, en el servicio de los más altos fines de la cristiandad y de la humanidad; para luego, en el ejercicio cotidiano del propio oficio, deducir de ello aquellas conclusiones lógicas, psicológicas y prácticas, que van madurando al sol de los problemas concretos de cada día.

Porque si alguna vez fué menester pasar cuanto antes de las palabras

* Habita die 14 Novembris mensis a. 1950.

a los hechos; si alguna urgió el tránsito del terreno de los principios al de la actuación real, ajustando el ritmo propio al vertiginoso de los acontecimientos circunstantes, esa vez es hoy, es este período turbulento de una postguerra, agitado por tantas disonancias aún sin armonizar y debilitado por un defecto de energía moral, que no siempre ha estado, por desgracia, a la altura de su función.

Sólamente con espíritu cada vez más resuelto, más vigilante y más activo podrán las Naciones, que descansan sobre un cimiento cristiano cumplir debidamente con lo que se deben a sí mismas y a sus añejas y venerables tradiciones.

Hoy, ante la progresiva dinamicidad de las potencias anticristianas, se ha convertido en una necesidad primordial, para la afirmación y la conservación de la dignidad moral y de la justa libertad humana, lo que en tiempos normales y tranquilos era, para el común ciudadano y para el hombre de gobierno, sólamente un postulado natural de la conciencia nacional y cristiana.

Ha sido para Nós, Señor Embajador, motivo de no pequeña satisfacción y gozo poder escuchar de sus labios que las enseñanzas ético-sociales, emanadas por esta Sede de Pedro, son para el fiel y devoto pueblo colombiano y para quienes, en tan turbios momentos, rigen sus destinos, a manera de estrella directriz, cuyos destellos se quieren seguir con plena voluntad y clara confianza.

Quienquiera que conozca la impresionante serie de estas enseñanzas podrá saber que la voz del Padre de la Cristiandad, con sus avisos y sus exhortaciones, mirando siempre al sano progreso y al armónico desarollo de la vida social, ha resonado siempre con timbre enérgico e inconfundible: siempre, en todas las ocasiones en que las necesidades o los errores de los tiempos han requerido de modo especial este « lumen de coelo », esa luz de lo alto para iluminar los pasos vacilantes de la humanidad.

¡Cuánto más feliz, cuánto más pacífico y cuánto más tranquilo viviría este mundo nuestro, si la palabra del Vicario de Cristo, que vibra por encima del campo donde combaten los intereses encontrados y los opuestos partidos, hubiese hallado, en gobernantes y gobernados, el eco fácil y la resonancia eficaz que ciertamente se merecía, para mayor provecho de la auténtica prosperidad y del verdadero interés de cada una de las naciones y de toda la sociedad de los pueblos!

Señor Embajador: ha querido la Providencia que el principio de su misión venga a coincidir con un momento en que una gran parte de la humanidad, que no obstante sus anhelos de paz se halla todavía bien lejos de una verdadera y sana ordenación pacífica, vuelve sus ojos an-

gustiada a la roca de Pedro y a las enseñanzas que de ella brotan, para poder alcanzar tan deseado puerto.

Vibran todavía en todos los corazones, y de modo muy singular en el Nuestro, las impresiones imborrables de aquella hora magnífica en que las representaciones y los peregrinos de todo el mundo han rendido, con fervor extraordinario, su homenaje filial a la Reina de la Paz, a la Virgen Madre del Rey de la paz, hecho hombre.

Entre los afortunados, que en aquellas jornadas memorables dieron con los caminos que traían a la Ciudad Eterna, estaban también los representantes de Colombia, hijos de una América eminentemente mariana, que sólamente entre sus más antiguas catedrales tiene por lo menos catorce dedicadas a la Asunción, y entre ellas algunas tan famosas como las de Méjico, Santiago de Chile, Arequipa y El Cuzco; herederos de la fe de un Santo Toribio de Mogrovejo, a quien se atribuyen las famosas letanías donde ya en pleno siglo XVI se pedía a la Virgen Santísima « per gloriosam Assumptionem tuam », « por tu gloriosa Asunción »; ciudadanos de una nación, que, como Nós mismo pudimos notar en un reciente radiomensaje,[1] «entre sus muchos títulos de gloria y de nobleza,... cuenta como uno de los primeros el ser un pueblo ardientemente mariano ».

Así, pues, ¿qué cosa mejor podríamos hacer en esta solemne ocasión que invocar la maternal protección de la bendita Madre del cielo sobre un pueblo que tanto la ama y la venera?

Colombia, país de altas cordilleras, de imponentes volcanes y de ríos caudalosos hasta recordar el mar; Colombia, tierra de los más variados climas y de las más diversas producciones, desde las playas que el mar acaricia hasta las elevadas mesetas que barren los vientos; Colombia, la tierra clásica de « Eldorado », país de leyenda y de cristianísimas tradiciones! Diríase que pocos lugares en el mundo estén más llamados que él a la prosperidad y a la paz.

Que Dios Nuestro Señor bendiga a Colombia, al Excelentísimo Señor Presidente de la República con su Gobierno, a sus decisiones y resoluciones en el campo nacional e internacional, a todos y a cada uno de sus hijos, para que, de horas tan procelosas como las presentes, desemboque ella en un risueño y próximo porvenir donde todos los colombianos, tan dentro siempre de Nuestro corazón, gocen de una paz segura, de una prosperidad creciente y del más sano de los progresos.

Con esta confianza y seguridad damos de todo corazón a Vuestra Excelencia, a todas las clases de su pueblo, generoso y trabajador, con la plena efusión de Nuestro corazón paternal, la implorada Bendición Apostólica.

[1] Al Cong. Mariano nac. de Col., 16-VII-1946.

III

*Ad Exc̃num Iosephum Nosolini, Lusitaniae Oratorem extra ordinem liberis cum mandatis, Summo Pontifici Litteras publicas porrigentem.**

Senhor Embaixador!

Com singular aprazimento escutámos as nobilíssimas expressões, em que Vossa Excelência traduziu os íntimos sentimentos que o animam pessoalmente ao entregar-Nos as Credenciais, que o acreditam na alta missão de Embaixador Extraordinário e Plenipotenciário da República Portuguesa, e os sentimentos que animam o seu Governo, na constante preocupação de manter e estreitar cada vez mais as amigaveis relações com a Santa Sé, pela actuação prática da letra e do espírito da Concordata e do Acôrdo Missionário.

Os primeiros abonam plenamente a confiança depositada em Vossa Excelência pelo Excelentíssimo Senhor Presidente da Republica, confiança aliás sobejamente garantida pelas eminentes qualidades demonstradas no brilhante exercício de funções precedentes.

Os segundos honram a um Governo que soube perfeitamente valorizar as mais lídimas e gloriosas tradições do seu povo; o qual desde a infância da nacionalidade, para mais seguro entrar e crescer no convívio das Nações soberanas, se apoiou à Rocha indefectivel da verdade, onde se alicerça a Igreja; e depois se lhe manteve tão constantemente fiel através dos séculos, como o demonstrava « o Desejado » pouco antes de dar a vida pela dilatação da Fé, quando à Santidade de Pio V que lhe oferecia escolher um título, respondeu, que não queria nem para si nem para o seu povo outro título senão o de filho dedicado da Sede Apostólica, [1] e como atesta o título efectivamente outorgado, um século mais tarde, de Fidelíssimo.

Nem a vocação missionária afrouxou esta intimidade de relações, senão que a estreitou mais. Pois que apenas a Nação Portuguesa se abalançou a descobrir novas terras para nelas implantar a Cruz, o seu primeiro cuidado foi oferecer ao Vigário de Cristo as primícias daquêles « cristãos atrevimentos » [2] numa embaixada memoravel, que Nós mesmo, ha poucos anos, com prazer recordávamos, quando, ao decretarmos a auréola

* Habita die 23 Novembris mensis a. 1950.

[1] Cfr. Vieira, *Sermões*, v. 7 (1908) p. 71 v. 7.

[2] Camões, *Lusiadas*, VII, 14.

da santidade a um heroico missionário, glória de Portugal, acolhiamos outra embaixada, ainda mais memoranda, pois Nos apresentava os preciosos frutos da evangelização portuguesa em meio mundo.

E nestas gloriosas e sempre vivas tradições que vem inserir-se a nomeação de Vossa Excelência para o seu alto cargo, como novo atestado das amigaveis relações do Governo Português com a Santa Sé a acrescentar a tantos recebidos anteriormente e ainda há pouco na renúncias que, para melhor servir os superiores interêsses da Paz do Mundo, se impôs: acto cuja nobreza a Santa Sé não pôde deixar de apreciar altamente.

Vossa Excelência inicia a sua alta missão em pleno Ano Santo, numa hora extraordinariamente rica de esperanças, porque iluminada com os benéficos esplendores da última, fulgidíssima gema engastada na celestial coroa da excelsa Mãe de Deus.

Confiamos que ambas as circunstâncias hajam de contribuir eficazmente para facilitar e tornar eminentemente profícua a sua levada acção.

O Ano Santo, que Portugal tem vivido com tão intensa participação, assim pelas numerosas peregrinações vindas a Roma e representando todas as classes da sociedade e todas as provincias do império, como também pelas férvidas manifestações de fé e piedade a que tem dado lugar em todas as dioceses do país, contribuirá certamente para avivar em todos a consciência cristã dos próprios deveres, assegurando-lhes assim, com a bênção de Deus, os frutos da ordem, da tranquila actividade e da paz.

E esta Nossa confiança cresce com a certeza da materna protecção da augusta « Regina Mundi », cuja gloriosa Assunção foi dos privilégios da Mãe de Deus talvez o mais venerado pela Terra de Santa Maria, desde o bêrço, como atestam os mais antigos documentos históricos e litúrgicos com todas as vetustas catedrais consagradas à sua honra, desde a vetustíssima Sé de Braga, protótipo de antiguidade, até à de Faro e até à do Funchal encastoada na « pérola do Atlântico »; e como demonstram os numerosíssimos santuários disseminados em todo Portugal e os que Portugal disseminou nas quatro partes do mundo, com o título de Assunção ou com os de Nossa Senhora da Boa Morte, Nossa Senhora da Guia, Nossa Senhora da Glória. E não seria indício de que à Rainha dos ceus era grato este culto, o facto de que muitos feitos decisivos na história de Portugal coincidiram com as festas da Assunção, como, por exemplo. Aljubarrota, que assegurava a independência, e Ceuta que dava princípio à cruzada de além-mar e onde Nossa Senhora de Africa ficava para lhe abençoar a vocação missionária?

Considerada internacionalmente a hora presente é cheia de trepidações e perigos, e o futuro de obscuras incertezas. O anseio mais sentido e mais universal dos povos é a paz. Pela paz e concórdia entre as Nações continuará a Santa Sé a trabalhar indefessamente, sem desconfiar da prudência e da boa vontade dos Governantes, sôbre quem pesa a tremenda responsabilidade do bem estar da humanidade, mas confiando sobretudo no auxílio do alto, na assistência do eterno Príncipe da paz e na intercessão da Virgem potentíssima.

Praza ao Ceu que a Nação fidelissima, por especial protecção da Mãe de Deus e pela clarividente prudência dos seus Governantes preservada do passado, imane conflito, possa continuar tranquilamente na sua carreira de pacifico progresso e na sua missão pacificadora e missionária, dilatando ao longe a fé e contribuindo para o ressurgimento do espírito de fraternidade entre as Nações e para apressar o advento da verdadeira paz.

Queira Vossa Excelência transmitir ao Excelentíssimo Senhor Presidente da República, ao ilustre Chefe e aos Membros do Governo êstes Nossos paternos votos pela paz e prosperidade da Nação Portuguesa; em quanto Nós fèrvidamente imploramos sôbre todos os Nossos queridos filhos de Portugal — continental, insular e ultramarino — as mais selectas graças e favores do Ceu.

NUNTIUS RADIOPHONICUS

CRISTIFIDELIBUS DATUS LONDINI COADUNATIS AD SOLLEMNIA CELEBRANDA OB IMPLETUM SAECULUM A RESTAURATIONE CATHOLICAE HIERARCHIAE IN ANGLIA ET CAMBRIA.*

Venerable Brothers and dear sons and daughters gathered together in the city of London to celebrate the Hierarchy Centenary Congress:

with the keen interest of a loving Father We watched from afar the splendid ceremonies that have been enacted on the auspicious occasion of the centenary of the restoration of the Catholic Hierarchy in England and Wales. That ancient Hierarchy was first established by Our august Predecessor St. Gregory the Great, and for nearly a thousand years it was linked to this Holy See by the bonds of filial obedience: a thousand years, during which a glorious legion of saints honoured your country and

* Die 1 Octobris mensis a. 1950.

a wholesouled devotion to the Mother of God made it worthy to be called « the dowry of Mary ».

When those bonds were severed and by a mysterious providence of heaven the blackness of night settled down on the Church of Augustine and Thomas and Edmund, of Wilfrid of York and Hugh of Lincoln, then it was, God raised up that generation of amazing heroes, trained in the school of a crucified Leader to fear neither rack nor rope, who came to sustain the flickering light of Faith that would not die. With what veneration and hallowed memories one prays before the painting of the King of Martyrs in the Venerable English College chapel, while before the mind's eye there pass a Sherwin, a Campion, a Southwell and a host of others cleric and lay. They died, and the Faith in England lived on.

Almost three centuries passed, and Our predecessor Pius IX of blessed memory decided the time had come for the Catholic Church in England to resume its proper place in the normal constitution of the Church, and by the Apostolic Letter « Universalis Ecclesiae » he re-established in England and Wales the Hierarchy of Bishops Ordinary, each to rule the Catholics in his own diocese.

Today you pause to measure the progress made during the hundred years now drawing to a close, and We wish you to know that in spirit We are in your midst as you kneel before your sacramental God to offer your prayer of tranksgiving. We thank Him for the numberless graces that He has showered on Our beloved sons and daughters through the frequent and wide-spread ministration of the sacraments, through the daily renewal of the Sacrifice of Calvary in the churches which are constantly increasing in number throughout the land. We thank Him for the two thousand and more Catholic schools that stand as monuments to the generous selfsacrifice of the faithful. With gratitude We recall the many religious houses of both men and women, that have been established, and all the charitable institutions, hospitals, orphanages, rescue homes, which each bishop has set up in his own diocese, where loving care is lavished on the sick, the aged, the orphaned or abandoned children by so many devoted religious sisters, brothers and the laity. We rejoice that Catholic men of letters have played their honoured role in the Universities; have made a distinguished contribution to Christian culture through the apostolate of the printed word, and in the sphere of journalism have helped so effectively and are helping to disseminate the truth. The zeal of the Hierarchy and of a loyal, industrious clergy and laity has indeed crowned the fond hopes of Pius IX with the joy of fulfillment.

It were too long to call the roster of all those who deserve a grateful remembrance today; but We cannot pass over in silence two names that add particular lustre to the pages of your nineteenth century history: John Henry Newman, most human, most eloquent expositor of the word of God, whose immortal sermon keeps fresh the memory of the First Synod of the restored Hierarchy; and Henry Edward Manning, champion of the working-man, herald and apostle of an age of increasing social justice and harmony.

We know full well, Venerable Brethren, that this progress has not been achieved without difficulties and trials. Our heart goes out in sympathy especially to the bishops and priests of Wales, where Catholics are few and scattered, and where poverty and loneliness must so often be the companions of those valiant apostles who would enlarge the kingdom of Christ on earth. To them We say: look to your illustrious martyrs, Blessed Richard Gwyn and Blessed David Lewis, and go forward with courage and good cheer.

You will also thank God, that unlike many of your fellow-Catholics in other parts of the world, you enjoy the inestimable blessing of peace and ordered government under your gracious King and Queen. We express here Our sentiments of profound esteem for His Majesty King George VI and Her Majesty Queen Elizabeth, and pray that God may grant them a long, prosperous and peaceful reign.

We cannot conclude without a message to all those men of good-will in England and Wales who would serve God, but who are not in communion with the See of Peter. We should like them to know that they, too, have a place in Our heart and We pray often for their welfare in this life and in the next.

And now as an earnest of Our paternal affection for all, We give Our Apostolic Benediction. We bestow it at this moment with all Our heart on Our beloved Son, whom We were so happy to appoint as Our Legate at your centennial celebration; We bestow it on Our Brethren in the episcopate, on all Our priestly sons, on all the faithful assembled, and in a special manner on all who have laboured hard to organize the liturgical functions, the pageant and the many ceremonies and meetings that have enriched the splendour of the Congress. May God bless you all, dear sons and daughters of England and Wales. Great is the hope which your loving Mother the Church places in you. May the next hundred years show how eminently worthy you are of her.

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I

SYRACUSANAE ET RAGUSIENSIS ET NETENSIS

DECRETUM

DE FINIUM MUTATIONE

Cum nuper ab Apostolica Sede expostulatum fuerit ut territorium Archidioecesis Syracusanae aliquantulum amplificaretur, adiectis quibusdam oppidis ad dioecesim Netensem pertinentibus, Ssmus Dominus Noster Pius Divina Providentia Pp. XII, rei opportunitate perspecta, de consilio Emi ac Revmi Cardinalis S. C. Consistorialis a Secretis, suppleto, quatenus opus sit, interesse habentium vel habere praesumentium consensu, vi praesentis Consistorialis Decreti, perinde valituri ac si Apostolicae sub plumbo Litterae expeditae forent, benigne decernit ut territorium quinque Communium, vulgo *Buccheri, Ferla, Cassaro, Buscemi* et *Palazzolo Acreide,* cum paroeciis ibidem exsistentibus, a dioecesi Netensi distrahatur et archidioecesi Syracusanae perpetuo aggregetur; territorium vero civitatis *Giarratana,* cum propria paroecia, ab eadem dioecesi Netensi dismembretur et dioecesi Ragusiensi adiungatur: mutatis hac ratione trium dioecesium finibus.

Ad haec autem exsequenda idem Ssmus Dominus Noster deputare dignatus est Excmum P. D. Hectorem Baranzini, Archiepiscopum Syracusanum et Episcopum Ragusiensem, eidem tribuens facultates ad id necessarias et opportunas, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, facto onere mittendi, quam primum, ad hanc S. Congregationem authenticum exemplar peractae exsecutionis. Contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus S. C. Consistorialis, die 11 Julii 1950.

✠ Fr. A. I. PIAZZA, Ep. Sabinen. et Mandelen., *a Secretis.*

L. ✠ S.

I. Ferretto, *Adsessor.*

II

PROVISIO ECCLESIARUM

Ssmus D. N. Pius Divina Providentia Pp. XII, successivis Decretis Sacrae Congregationis Consistorialis singulas quae sequuntur Ecclesias de novo Pastore dignatus est providere, nimirum:

die 15 Iunii 1950. — Titulari episcopali Ecclesiae Sestensi praefecit R. D. Antonium Campello, Societatis S. Francisci Salesii, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Francisci de Aquino Corrêa, Archiepiscopi Cuiabensis.

die 17 Iunii. — Titulari episcopali Ecclesiae Eluzanae R. D. Raymundum De Castro y Silva, parochum in oppido « Maranguape » in Brasilia, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Severini Vieira de Melo, Episcopi Teresiani.

die 11 Iulii. — Titulari episcopali Ecclesiae Caesariensi in Mauretania R. D. Franciscum Pennisi, Cubicularium intimum supra numerum Sanctitatis Suae et Rectorem Seminarii Archiepiscopalis Catanensis, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Hectoris Baranzini, Archiepiscopi Syracusani et Episcopi Ragusiensis.

die 3 Augusti — Cathedrali Ecclesiae Sancti Caroli Ancudiae Exc. P. D. Augustum Osvaldum Salinas Fuenzalida, C. SS. CC. hactenus Episcopum titularem Nisyriensem.

die 19 Augusti. — Metropolitanae Ecclesiae Curitibensi Exc. P. D. Emmanuelem da Silveira d'Elboux, hactenus Episcopum Rivi Nigri.

die 21 Augusti — Titulari episcopali Ecclesiae Nisyriensi R. D. Eliseum Mendes, Canonicum Capituli Metropolitani S. Salvatoris in Brasilia, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Antonii de Almeida Lustosa, Archiepiscopi Fortalexiensis.

die 27 Augusti — Titulari episcopali Ecclesiae Altavensi R. D. Iosephum Varani, vicesrectorem Seminarii Centralis S. Pauli in Brasilia, quem deputavit Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Antonii Augusti de Assis, Episcopi Jaboticaballensis.

die 8 Septembris. — Titulari episcopali Ecclesiae Drivastensi, R. P. Florianum Loewenau, O. F. M., Rectorem Seminarii Seraphici Jpuaranensis, quem constituit Praelatum *nullius* Santaremensem.

die 5 Octobris. — Cathedrali Ecclesiae Jacensi, R. D. Angelum Hidalgo Ibanêz, Vicarium Generalem et canonicum doctoralem Capituli Cathedralis dioeceseos Seguntinae.

— Cathedrali Ecclesiae Mindoniensi, R. D. Marianum Vega Mestre, ex dioecesi Matritensi.

die 21 Octobris. — Cathedrali Ecclesiae Foroliviensi Exc. P. D. Paulum Babini, hactenus Episcopum Comaclensem.

die 14 Novembris. — Titulari episcopali Ecclesiae Silensi R. D. Cornelium Lucey, dioecesis Corcagiensis, Lectorem Ethicae in facultate philosophica Universitatis Catholicae in civitate Maynooth, quem deputavit Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Danielis Cohalan, Episcopi Corcagiensis.

die 18 Novembris. — Titulari episcopali Ecclesiae Sasimensi R. D. Gulielmum Cleven, canonicum metropolitanae ecclesiae Coloniensis, quem deputavit Auxiliarem Emi ac Revmi P. D. Iosephi S. R. E. Cardinalis Frings, Archiepiscopi Coloniensis.

die 9 Decembris. — Titulari episcopali Ecclesiae Gurzensi Exc. P. D. Albinum Morera, hactenus Episcopum Ampuriensem et Templensem.

SACRA CONGREGATIO DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM

DECRETUM

Quo omnium admissis in terrarum orbe rite expiatis, divinae Largitatis beneficia, modo summopere necessaria, hominum familiae concilientur, Sanctissimus Dominus Noster Pius Divina Providentia Papa XII, in Audientia habita ab infrascripto Cardinali Sacrae Congregationis de Sacramentis Pro-Praefecto die 20 mensis novembris labentis anni, RRmis locorum Ordinariis facultatem tribuere libenter dignatus est indulgendi, ut in unaquaque suae Dioecesis ecclesia cathedrali, collegiali, conventuali, paroeciali, nec non in potioribus ecclesiis et oratoriis, etiam sodalibus religiosis concreditis, ad quae populus frequentior accedere solet, exceptis tamen domesticis sacellis, media ipsa nocte, quae interfluit inter finem anni MCML et initium anni MCMLI, *una sancta Missa*, etiam sollemnis, litari possit.

In huiusmodi Missa, aut statim post eam expletam, christifideles rite dispositi sacra Synaxi sese reficere queunt, servato ieiunio ab ipsa media nocte et dummodo sacrae supplicationes Deo Beatissimaeque Virgini

Mariae in caelum Assumptae impendantur iuxta Sanctitatis Suae pientissima placita et vota per spatium saltem duarum horarum, in hoc computato tempore ad Missam celebrandam insumpto, servatis in reliquis de iure servandis cautoque ut quodlibet amoveatur irreverentiae ac profanationis periculo.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum, die 1 mensis decembris MCML.

✠ B. Card. Aloisi Masella, Ep. Praen., *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S.

F. Bracci, *a Secretis.*

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

I

ADELAIDEN. - PORTAUGUSTAN.

DECRETUM

DE FINIUM DIOECESIUM MUTATIONE

Excmus Dñus Ordinarius Portaugustanus, plene assentiente Excmo Dño Ordinario Archidioecesis Adelaidensis, preces ad hanc S. Congregationem de Propaganda Fide obtulit ut in bonum fidelium pars territorii Archidioecesis Adelaidensis aggregaretur dioecesi Portaugustanae et proinde fines immutarentur. Qua de causa tota paeninsula vulgo appellata Eyre aggregetur dioecesi Portaugustanae et insuper a sinu vulgo Spencer limites novi sequantur limites civilium districtuum, qui vulgo appellantur « Hundreds » scilicet limites meridionales districtuum Wanderah, Crystal Brook et Narridy; occidentales limites districtus Yacka Moorundie; limites meridionales supradicti districtus et etiam districtuum Andrews et Ayers; limites occidentales districtuum Kooringa et Apoingna, limites meridionales supradictorum districtuum et districtus Bright; limites occidentales et meridionales districtus Bower, partim limites meridionales districtus Beatty; limites occidentales districtuum Hay et Skurray necnon Fisher; limites meridionales huius districtus Fisher; limites occidentales districtuum Nildotti et Forster; limites meridionales districtuum Forster, Bandon, Chesson, Mindarie, Allen, Kekwick et Mac Gorrery.

Porro haec Sacra Congregatio de Propaganda Fide, rei opportunitate perpensa, da mandato Ssmi D. N. Pii Div. Prov. Papa XII, vigore scilicet facultatum ab Eodem Ssmo Domino Nostro sibi specialiter concessarum et per totum annum iubilarem 1950 valiturarum, praesenti Decreto statuit ut praefata territoria, ut supra limitibus definita, cum clero et fidelibus ibi legitime exsistentibus, ab Archidioecesi Adelaidensi dismembrentur et dioecesi Portaugustanae perpetuo incorporentur, mutatis hac ratione finibus utriusque dioecesis.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die 5 mensis Maii anno Domini 1950.

P. Card. FUMASONI BIONDI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† C. Costantini, Archiep. tit. Theodos., *a Secretis.*

II

PROVISIO ECCLESIARUM

Singulis, ut infra, datis Decretis Sacri Consilii Christiano Nomini Propagando Ssmus Dñus Noster Pius div. Prov. Pp. XII dignatus est sequentes providere Ecclesias, nimirum :

die 18 Aprilis 1950. — Cathedrali Ecclesiae Homtomensi praefecit R. D. Franciscum Han, e clero saeculari.

— Cathedrali Ecclesiae Christopolitanae R. D. Eduardum M. Joyce.

— Titulari episcopali Ecclesiae Belensi R. P. Bernardum Arango Henao, S. I., quem constituit Vicarium Apostolicum Barrancabermejensem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Synaïtanae R. D. Iosephum Mariam Khuè, e clero saeculari indosinensi, quem constituit Vicarium Apostolicum Hanoiensem.

24 Maii. — Titulari episcopali Ecclesiae Hierocaesariensi R. P. Timotheum Fedliminum O'Shea, Ordinis Fratrum Minorum Cappuccinorum, quem constituit Vicarium Apostolicum Livingstonensem.

die 31 Maii. — Titulari episcopali Ecclesiae Cremnensi R. P. Gustavum Iosephum Bouve, Congregationis S. Spiritus, quem constituit Vicarium Apostolicum de Katanga Septentrionali.

— Cathedrali Ecclesiae Fomsiamensi R. P. Antonium Chou wei-tao, Ord. Fratrum Minorum.

— Titulari episcopali Ecclesiae Caralliensi R. P. Cornelium Brons-

veld, Societatis Missionariorum Africae sodalem, quem constituit Vicarium Apostolicum Taborensem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Hadrianiensi R. P. Ferdinandum Guercilena, Instituti Pontificii a Ss. Apostolis Petro et Paulo et a Ss. Ambrosio et Carolo pro missionibus ad exteras gentes presbyterum, quem constituit Vicarium Apostolicum de Keng-Tung.

— Titulari episcopali Ecclesiae Balburensi R. P. Gulielmum Antonium Schoemaker, Missionariorum S. Cordis Iesu, quem constituit Vicarium Apostolicum Puruokertensem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Tremithusiae R. P. Norbertum Van Velsen, Ordinis Praedicatorum, quem constituit Vicarium Apostolicum de Kroonstad.

die 25 Iunii. — Titulari episcopali Ecclesiae Berissenae R. P. Hermannum Tillemans, Missionariorum Sacri Cordis Iesu, quem constituit Vicarium Apostolicum Meraukensem.

— Cathedrali Ecclesiae Pimliamensi R. P. Ignatium Gregorium Larranaga, Ordinis Fratrum Minorum Cappuccinorum.

— Titulari episcopali Ecclesiae Abitinensi R. D. Thomam Ferrando, cleri saecularis dioecesis Tuticorensis, quem constituit Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Francisci Tiburtii Roche, Episcopi Tuticorensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Neptensi R. P. Aloysium Haene, Societatis missionum exterarum de Bethlehem in Helvetia, quem constituit Vicarium Apostolicum Arcis Victoriae.

— Titulari episcopali Ecclesiae Arbensi R. P. Leonardum Hagarty, O. S. B., quem constituit Vicarium Apostolicum de Bahamas.

— Titulari episcopali Ecclesiae Acmoniensi R. P. Petrum de Alcantara Keuppens, Ordinis Fratrum Minorum, quem constituit Vicarium Apostolicum de Lulua.

die 15 Iulii. — Titulari episcopali Ecclesiae Baricensi R. P. Walterum Verwoost, Oblatorum Mariae Immaculatae, quem constituit Vicarium Apostolicum de Pilcomayo.

die 18 Iulii. — Titulari episcopali Ecclesiae Assavensi Exc. P. D. Ioannem Alaphridum Guyomar, hactenus Episcopum Jaffnensem.

die 16 Augusti. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Cyrrhensi Exc. P. D. Sylvestrum Mulligan, iam Archiepiscopum Delhiensem et Simlensem.

III

NOMINATIONES

Decretis, ut infra, datis Sacra Congregatio de Propaganda Fide ad suum beneplacitum renunciavit :

die 9 Iunii 1950. — R. P. Eugenium Arthurs, Instituti a Caritate (vulgo « Padri Rosminiani »), *Praefectum Apostolicum Tangaënsem.*

die 10 Iunii. — R. P. Renatum Landru, Societatis Missionariorum Africae sodalem, *Praefectum Apostolicum Gaoensem.*

die 8 Iulii. — R. P. Xystum Mazzoldi, e Congregatione Filiorum S. Cordis Iesu, *Praefectum Apostolicum de Bahr-el-Gebel.*

die 19 Iulii. — R. P. Hubertum Hermens, Societatis Verbi Divini, *Praefectum Apostolicum Denpasarensem.*

SACRA CONGREGATIO RITUUM

MARIANOPOLITANA

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VENERABILIS SERVAE DEI MARGARITAE BOURGEOYS, FUNDATRICIS CONGREGATIONIS SORORUM A NOSTRA DOMINA.

SUPER DUBIO

An, stante approbatione virtutum et duorum miraculorum nec non dispensatione ab aliis duobus miraculis, Tuto *procedi possit ad sollemnem eiusdem Venerabilis Servae Dei Beatificationem.*

Si Trecensis Dioecesis, sollemnis Beatificationis Venerabilis Margaritae Bourgeoys proximante die, merito gaudet, quia, natales ei dedit, maiori exsultatione Canadenses omnes gestiunt, quia ab ea incomparabilia beneficia acceperunt, quae post fere trium saeculorum decursum adhuc perseverant, opera praesertim eius Filiarum, quae tantae Matris vestigiis inhaerentes, in animorum salutem indefesse se impendunt.

Beatificationis proximam diem diximus, quia omnia quae a iure praescribuntur ad amussim perfecta sunt. Beatificationis enim causa a Leone XIII fel. rec. die 10 Decembris a. 1878 fuit introducta ; die 19 Iunii a. 1910 Venerabilis Dei Servus Pius Papa X decrevit : *Ita constare de*

virtutibus theologalibus, cardinalibus earumque adnexis in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur, ut procedi possit ad discussionem quatuor miraculorum.

